




BIBLIOTHECA  
UNIVERSITATIS  
VALLICENSIS

585167

Mag. St. Dr.





585167

I Mag. St. Dr.

Bg. I. 10 x

39208 T

ASSERTIONES  
THEOLOGICÆ,

AD

Mentem Doct: Angelici  
Diui Thomæ Aquinatis.

*Publico certamini Crac: propositæ.*

A

P. F. ALPHONSO KAZNOWSKI  
S. T. L. Ord. Prædic.

*Anno Domini 1627. Mense April. Die*



CRACOVIAE,  
Typis Matthiæ Andreouienſis.

119

λ. V. X. XII. 47 K

1627

355867



585 167

Mag. Sc. Dr.

XVII

DUBLIN  
 228  
 Pub. Reg.

*Illustri ac Magnifico Domino,*  
**D. IOANNI**  
**CAROLO**  
*DE*  
**SCZEKARZEWICE**  
**TARLO:**

**Hæredi in Ianowiec, Capitaneo**  
**Zwolinensi, &c. &c. Dño ac Mæcenati**  
**suo Colendiss.**

*Fr. ALPHONSVS KAZNOWSKI S. T. Lc.*  
*Et or. Ord: Præd: salutem æternamq; felicitatem*  
*precatur.*



**N**ON iucundi magis, quam vtilis Illustris ac  
Magnifice Dñe. toti Græciæ ludi illi Olympiaci  
extirere: quibus quasquisq; sibi artes domi, in-  
tra priuatos parietes parasset, in lucem oculosq;  
omnium proferret: vt nec studia hominum præ-  
clara laterent, nec sua virtus premio careret.  
eodem penè consilio atq; exëplo & mihi in  
publico cõparendum fuit: vt mei qualescunq; labores, & testem foris,

Et honorem non tam meo quam religionis mee nomine aliquem haberent. Ae ego quidem has theses Illustr: ac Magnifi: D. nomini Tuo dicatas esse volui: non ut Oleastri coronam, quae premium erat Olympiorum, sed fauorem mihi meaq; huic opelle abs te viro maximo sapientissimoq; compararem: ratus nullum hic mihi honorem polle amplio rem haberi, quam à te benigne suscipi, tum propter auita atq; antiquae tuae Familiae famam celebrem, heroicaq; facta maiorum tuo, um, quibus Rempub. Poloniam illustrarunt: tum propter singularem humanitatem tuam, & beneficia quae in dies sacro Predicatorio Ordini Confers: certant enim de excellentia Illustr: Familiae Tuae, nauitas & liberalitas tua lite nunquam finienda, & cum Mauortia cohorte, contendit Mineruae Chorus. Verum quia Illustrium virorum encomia, tanquã res sacra cū veneratione potius spectare quam oratione celebrare debemus, libare solum preconiorum tuorum limen, nō penetrare statui, venerater iam nō Orator, adorator (pene dixirim) non adornator effectus. Harum igitur ceterarumq; sublimium virtutum tuarum auxiliari dextera suffultus, in Illustrum tue maiestatis conspectum prodeo, & clarissimis Tuorum stemmatum radiis ornatos, hosce ingenii mei siue flores, siue fructus, expono: ut in hominum ora manusq; prodituri, sin minus sapore, colore tamen arrideant, fouebit illos sponte confido, quae in omnes tam late diffunditur generosa animi tui humanitas, atque Magnificentia. Ergo cum tanta lucis obtutum nequeam sustinere, eosdem gentilitiae tuae committens, abscedo. Vale perpetuo faelix.

Estote perfecti sicut & Pater vester  
cælestis perfectus est. *Matth: 5.*

**C**VM vnum quodque sit perfectum secundum  
quod est in actu, necesse est Deum esse perfe-  
ctissimum cum sit maxime in actu.

2. Est autem perfectissimus, nedum quia in ipso  
sunt perfectiones omnium rerum, idque eminenti-  
ori modo cum sit prima causa omnium rerum: sed  
etiam, quia secundum quamlibet habet optimum  
essendi modum, cum sit ipsum esse per se subsistens,  
quod totam perfectionem essendi in se continet.

3. Ex hoc autem licet sequatur creaturas simili-  
les esse Deo (nam necesse est quod in effectu sit si-  
militudo formæ agentis) non tamen sequitur Deum  
esse similem creature, in his enim quæ sunt eiusdem  
ordinis recipitur mutua similitudo, non autem in  
causa & causato, sumendo ipsa formaliter & per se,  
vt docet Caieranus 1. p. q. 4. in explicatione respon-  
sionis D. Tho: ad 4tum.

4. Sunt verò creaturæ similes Deo non secun-  
dum eandem rationem specificam vel genericam,  
quoniam Deus non est agens contentum in eadem  
specie vel genere cum creatura, sed secundum ali-  
quam analogiã, quoniam illa quæ sunt à Deo, as-  
similantur ei in vt primo & vniuersali principio to-  
tius esse.

Confitemini Domino quoniam  
bonus. *Psalm: 144.*

**Q**uoniam ratio boni consistit in hoc quod sit appetibile, per consequens bonum habet rationem finis. Vnumquodq; autē in tantum est appetibile, in quantum est perfectum, ac per consequens in quantum est Ens: Hinc est quod bonum & ens sunt idem secundum rem, sed differunt secundum rationem tantum, id est secundum rationes formales nominibus Entis & boni significatas.

2. Ita tamen ut ens secundum rationem sit prius quam bonum, quoniam prius cadit in conceptione intellectus, comparando Entis rationē ad alias rationes rerum, accipiendo rationes rerum prout distinguuntur contra res ipsas, non autem comparando Entis rationem & ad rationes rerum, & ad res ipsas, sic enim Deitas est primum intelligibile, non enim Deitas potest esse ita ratio quin sit res ipsa, ita quod intelligibilitas prius inest Deo quam Enti imò in est Enti quia inest Deo.

3. Cum autem modo explicato ratio Entis sit prior quam ratio boni, mirum non debet esse, in aliquo Ente esse rationem Entis secundum rationem absq; ratione boni, ut in Mathematicis ad hoc enim quod aliquid habeat formaliter rationem entis, sufficit quod in se sit tale quod ei non repugnat esse



in rerum natura quomodo eumq; id eueniat, siue secundum suam abstractionem, siue non, ad hoc autem quod habeat formaliter rationem boni, ultra hoc exigitur quod ipsum sumatur in ordine ad esse vel finem in rerum natura, quod alienum est à Mathematicis, & propterea abstrahunt à boni ratione formaliter.

4. Hinc procedendo ad diuinam bonitatem dicimus, bonum esse, præcipue Deo conuenire. Nā est prima causa effectiua omnium, ac per consequens præcipue appetibile & bonum. quoniam si unumquodq; in creatis appetit suam propriam perfectionem, & consequenter similitudinem sui efficientis, à fortiori seu præcipue ipsa causa est appetibilis, in cuius ratione scilicet appetibilitate, dictum est consistere rationem boni.

5. Cū autem audis Deum præcipue esse bonum, non intellige ipsum esse summum bonum in aliquo tantum genere vel ordine rerum, sed simpliciter, ac proinde per essentiam, non solum quia nō per aliquid extra essentiam suam, sed quia etiam non participatiue, quoniam ex ipso suo modo essendi omnem plenitudinē bonitatis naturaliter claudit.

6. Aqua bonitate diuina omnia sunt bona extrinsece & causaliter, formaliter autem & intrinsece, non sunt bona nisi bonitatibus propriis.

Magnus est, & finem non habet, excelsus & immensus. *Baruch: 3.*

**L**icet infinitum ex parte materiae habeat rationem imperfecti, est enim quasi materia non habens formam per quam perficiatur, infinitum tamen secundum quod se tenet ex parte formae habet rationem perfecti, cum forma absolute in eo quod forma non perficiatur per materiam, licet hoc habeat in quantum est talis puta informativa materiae.

2. Quo fundamento posito colligitur recte Deum esse infinitum infinitate dicente perfectionem, cum suum esse non sit receptum in alio, sed ipse sit suum esse subsistens.

3. Unde etiam est infinitus simpliciter secundum suam essentiam, scilicet neque per se neque reductivum ad ullius speciei aut generis limites coarctatus.

4. Quod nulli creaturae competit. Nam licet quaedam creaturae non sint receptae in materia, sed per se subsistentes, ac per consequens sint infinitae secundum suam essentiam secundum quid, nihilominus cum omnis talis creatura sic subsistens habeat esse, & non est suum esse, ac per consequens esse suum sit receptum & contractum ad determinatam naturam, non potest esse infinita simpliciter secundum suam essentiam.

5. Et quoniam ut dicit D. Th. 1. p. q. 7. a. 3. aliud

est esse infinitum secundum suam essentiam, & aliud est esse infinitum secundum magnitudinem. (nam dato quod esset aliquod corpus infinitum secundum magnitudinem non tamen esset infinitum secundum essentiam) dicimus cum D. Th. neq; aliquod creatum posse esse infinitum secundum magnitudinem hoc enim esset vel corpus sumptum naturaliter, vel Mathematicè, & de utroque non verificatur.

6. Non de primo, tum quia corpus naturale habendo formam determinatam, necesse esset vt haberet accidentia determinata, quorum vnum est quantitas, tum quia non posset moueri motu recto vel circulari, & sic non haberet aliquem motum naturalem.

7. Non de secundo. Quia tale corpus oportet imaginari sub aliqua forma cuiusmodi est figura, quæ termino vel terminis comprehenditur, quoniã nihil est actu nisi per suam formam, & sic non erit infinitum.

8. Sicut autem non est aliquid in rebus creatis infinitum secundum magnitudinem, ita neq; potest in illis infinitum esse actu secundum multitudinem, tam per se quam per accidens, tum quia omnis multitudo actu existens est in aliqua specie multitudinis, quæ est determinata per vnum; tum quia quælibet multitudo in rerum natura existens est creata ac per consequens sub aliqua certa intentione creantis

comprehenditur.

9. Cū hoc tamen stat infinitum in potentia secundum multitudinem dari in rebus, quia augmentū multitudinis sequitur ad diuisionem cōtinui, quę procedit in infinitum: sicut autem infinitum inuenitur in potentia in diuisione continui: ita etiā inuenitur in potentia in additione multitudinis.

Quo ibo à spiritu tuo, & quo à facie fugiam, si ascendero in cœlum, tu illic es, si descendero ad infernum, ades. &c. *Psalm: 138.*

**L**icet infinitas & immensitas diuinæ essentiæ sit prima radix propter quam Deo congruit esse intime secundum suam substantiam in omnibus locis & rebus à Deo factis vel fiendis. quoniam ex hac conuenit ipsi vt virtutē habeat infinitam, creandi & conseruandi totam creaturarū vniuersitatē.

2. Similiter licet relatio præsentia inter Deum & creaturam consequens operationem, sit id per quod denominetur Deus formaliter formalitate relationis præsens.

3. Ratio tamen ipsa formalis taliter existendi & denominandi formaliter formalitate operationis fundantis talem relationem præsentia est ipsa operatio, non quomocunq; sed vt est Dei immedia-

tè agentis immediatione, nedum Virtutis sed etiam suppositi.

4. Deus enim est agens immediatum immediatione suppositi in omnibus rebus, in quibusdam quidem quoad omnia, in quibusdam autem quoad aliqua tantum.

5. Quoniam totam substantiam spiritualis creaturæ per se ipsum nulla alia media causa produxit, similiter & creaturas corporeas primas, in aliorum autem productione vitur secundarum causarum ministerio, in quibus tamē est materia prima, quæ à solo Deo est producta, & ab eodem absq; alterius agentis immediate immediatione suppositi cōcursu conseruatur, ac per consequens solus Deus potest omnia facere quæ exiguntur vt aliquid sit, quid quid sit illud.

6. Ex quo habet esse, quod sit proprius seu per se primo effectus Dei.

7. Dicitur autem Esse, esse intimius & profundius omnibus, non quia intimius omnibus alijs prædicatum constituat rei: sed quia nihil est tam intimum in re, quod non actuetur per esse, quod nulli alteri in re existenti competit.

8. Præter hunc essendi modum scilicet secundū substantiam, Deus est etiam in omnibus per potentiam, in quātum omnia eius potestati & virtuti subduuntur, & per præsentiam ratione scientiæ speculatiuæ, quæ est visionis in quantum omnia nuda sunt

& aperta oculis eius.

9. Deus igitur est vbique. Quod primò & per se est proprium Deo, primò quidem, pro quanto secundùm se totum est vbique: per se verò, quoniam est tale quid vt facta quacunq; suppositione sequatur illum esse vbique.

Non est Deus quasi homo vt mētiatur, nec vt filius hominis vt mutetur. *Num: 23.*

**D**EUS itaque est immutabilis, estq; ipsius proprium omninò immutabilem esse, ita quod nulli creaturæ id competat, quoniam omnes creaturæ communiter sunt mutabiles per potentiam, quæ in altero est scilicet secundùm potentiam diuinam, in cuius potestate est esse, & non esse eorum.

2. Præterquam quod etiam sunt creaturæ mutabiles per potentiam in ipsis existentem, & quidem secundùm esse substantiale, & esse accidentale, vt omnia corpora corruptibilia, secundùm autem esse locale, tantum vt corpora cælestia, secundùm electionem tandem de bono in malum, & secundùm applicationem virtutis ad quædam loca quæ prius non attingebant, vt substantiæ incorporeæ.

Tu autem Domine in æternum  
permanes. *Psal: 101.*

**D**Eo igitur cum sit maximè & omninò immutabilis maximè, verè proprie, cõpetit esse æternum, alijs autem participatiuè, secundum quod immutabilitas participatur, vnde non solum est æternus, sed etiam est sua æternitas.

2. Cuius ratio consistit in apprehensione id est in ratione vniformitatis eius quod est omninò extra motum; ita quod æternitas cum sit velut quædam species durationis, habet pro qua si genere durationem, pro ratione autem differentiali & constitutiuâ, vniformitatem eius quod est omninò extra motum, nihil enim datur vninoeum, æternitati & alijs durationibus, æuo scilicet & tempori.

3. Vnde rectè ipsius definitio traditur cum dicitur quod sit interminabilis vitæ, tota simul & perfecta possessio. Ratio enim vniformitatis exprimitur, in hoc quod sit perfecta possessio, quia illa vniformitas firmiter & quietè possidetur ab eo, quod est omninò extra motum; id autem quod est omninò extra motum exprimitur in his verbis scilicet, interminabilis vitæ tota simul.

4. Ex his patet differentia æternitatis ab æuo & tempore, æternitas enim caret principio & fine æuum autem habet principium & finem, tempus

tandem habet principium & finem, hoc est per accidens, & non per se, quia scilicet æuum non semper fuit, similiter quia tempus non semper fuit, nec semper futurum est.

5. Differentia igitur hæc est. Nam per æternitatem mensuratur id quod est omnino inuariabile, per tempus mensuratur id quod est omnino variabile, per æuum tandem mensuratur id quod est inuariabile secundum substantiam, variabile tamen secundum operationem.

6. Hinc patet æuum esse totum simul, & non habere successionem, quoniam mensuræ extensæ oportet respondere mensuratum extensum, quale nõ est substantia & esse Angeli.

7. Sicut autẽ tempus est vnum simpliciter quia primum mensuratum, quod est primus motus est vnum tantum, comparatur enim ad ipsum non solũ vt mensura ad mensuratum, sed etiam vt accidens ad subiectum: similiter æuum est vnum simpliciter, quia mensuratum quod est primum æuiternum, est vnum tantum.

8. Dum autem dicitur substantias spirituales mensurari æuo, intellige eodem mensurari, naturales operationes earundem quæ sunt intelligere & amare respectu sui, quoniam æque sunt immutabiles sicut substantiæ Angelorum.

9. Non autem operationes liberas & immanentes, tales enim mensurantur tempore discreto An-



8

gelico quod est duratio simplicissimæ operationis  
primi æterni, quoniam defectibiles naturaliter sunt,  
& sunt totæ simul & altioris ordinis quam motus  
calorum.

10. Quid verò dicendum est de visione beatifi-  
ca creaturæ certum est ipsam neutra duratione  
prædictarum mensurari, sed mēsurari mensura quæ  
dicitur æternitas participata, visio enim beatifica est  
quid immutabile ordinis Diuini seu supernaturalis  
& non naturalis.

**Audi Israel, Dominus Deus no-  
ster, Deus vnus est. Deu. 6.**

**H**Oc ipsum quod sacra scriptura fatetur verum  
esse ipsa ratione probatur, sed nedum est vnus,  
sed etiam est maximè vnus, quia est maximè indiui-  
sus in plura esse.

2. Hinc patet quod licet vnum transcendētale  
secundum sui integram rationem vt dicit ens indi-  
uisum non sit aliquid purè positium aut pure ne-  
gatiuum, sed compositum, ex positiuo & negatiuo:  
formaliter tamen & præcisè sumptum siue vt con-  
stat ratione superaddita ad naturā entis, non est ali-  
aliqua res aut realitas positia.

3. Ratio huius hæc est. Nam cum termini tran-  
scendentales ita se habent vt concreta dici possint  
de abstractis, si vnitas esset aliqua res superad-  
dita Enti, etiam hæc vnitas esset vna per aliquam rem su

per additam suæ naturæ, & hæc res iterum similiter,  
& sic fieret processus in infinitum.

4. Vnū igitur est passio realis Entis non realitate propria distincta à realitate Entis, sed realitate sui quasi subiecti.

5. Vnde secundum quod est passio Entis, distinguitur ab ipso non sicut præscindens ab ipso, sed sicut includens ipsum, & aliquid superaddens scilicet negationem diuisionis.

6. Hæc autem negatio diuisionis clauditur in vnitatem creatam non solum ex conditione intellectus nostri quia ante vnitatem intelligit diuisionem vt habet D. Th. de potent. quæst. 9. art. 7. sed etiam ex vi ipsiusmet vnitatis quia est opposita diuisioni, in vno autem opposito clauditur negatio alterius.

7. In vnitatem autem increatam qua dicitur Deus benedictus vnus clauditur negatio diuisionis nõ ex vi, & natura ipsiusmet vnitatis cum nullam habeat oppositionem cum diuisione, sicut nec bonitas Diuina cum malo, sed solū ex conditione intellectus nostri, ac proinde, ratio vnitatis diuine secundū se conceptæ, est ratio positia, licet sit ratio negatiua pro vt concipitur à nobis, hoc enim arguit imperfectionem intellectus nostri, à qua longè remotus Deus benedictus cognoscit se vnū nõ per aliquam negationem sed per simplicissimam affirmationem nulli negationi oppositam. Vnde ipsi honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen.



